

fuo de Servis libro , contextit . Ibi enim fervorum nationes recensens , Alexandrinos numerat , Asiaticos , Phryges , Lycios , Syros , Medos , Mæstios , Gallos , Bithynos , Cappadoceos , Liburnos , Corsos , Sardos , Britanos ; Brutios autem non ponit . Quum ergo Brutii , nec ut Servi , nec ut Romanorum desertores , officia illa exercerent , quæ sane exercebant Galli , & Germani , ut superius diximus , & inferius latiori calamo dicemus ; clarum est , Brutianos , quorum hujusmodi munus erat , a Brutiiis nomen suum non derivasse , ac proinde nec pœnam , quæ commentitia probata est , nec officium , quod inane prorsus , ac falsum , usque modo ostensum fuit .

Ad Strabonem descendimus . Strabo , ait Blount , in celebriorum Authorum Censura , natus est Amasiæ , Civitate Ponti ; Philosophus fuit Stoicus , & Geographus præstantissimus . Scripsit decem & septem Geographiæ libros , qui hodie etiamnum existant . Circa annum duodecimum imperii Tiberii Cæsaris , in extrema senectute , vivere desit . A Scriptoribus omnibus , & vetustis , & recentibus , commendatur ; unde Lypsius , in manu ductæ ad Stoicam Philosophiam lib. 1. dissert. 17. , scribit : *Strabo Geographus , insignis judicii & prudentiæ vir* ; Rhodiginus l. 21. lect. antiq. c. 25. ait : *Strabo non Historicus modo insignis , sed Philosophus quoque , & Mathematicus , adeo celebris , & per vulgati nominis , ut eum Thessalonicensis Eustathus per quandam exochon Geographi nomine persæpe significet* ; Et Vossius , ut alios mittamus , de Philologia , f. 56. , inquit : *Satis prædicari nequit doctrina & industria Strabonis Amaseni , Scriptoris gravissimi* .

Strabo ergo ad rem , de qua scribimus , hæc evulgavit , quæ a Baronio , aliisque , referuntur . Libro scilicet